

autem *ratio* fuit, tum quia non decebat, voluntates nostras jam infectas peccato moraliter uniri cum sanctissima Christi voluntate: tum quia conveniebat, homines adultos participes fieri meritorum et satisfactionum Christi per liberam et propriam cooperationem.

Inst. Si meritum Adæ fuisset nostrum, et meritum Christi non sit nostrum, meritum illius fuisset majoris efficaciam, quam meritum Christi: sed hoc dici nequit; ergo.

R. N. seq. M. Non enim sequitur futurum fuisse meritum Adami majoris efficaciam *de se et in actu primo*, sed tantum fore, ut pertinuisset actu ad plures, quam nunc ipso facto prosit meritum Christi, non quidem ex defectu ipsius meriti, utpote infiniti et superabundantis, sed ex defectu creaturarum sibi illud applicare negligentium.

CAPUT III.

DE PROPAGATIONE PECCATI ORIGINALIS.

Duo hic exponenda suscipimus, modum scilicet, quo peccatum originale traducatur, et subjectum, in quod propagetur. Primum adeo difficile visum est S. AUGUSTINO, ut L. 5. contra Julian. c. 4. n. 17. scriberet: *Quid autem sit verum, libentius disco quam dico; ne docere audeam quod nescio*: Alterum GREGORIO XV. P. M. adeo obscurum apparuit, ut Philippo III. Hispaniarum Regi Ecclesiam definitionem urgenti responderit, æternam Sapientiam nondum tanti mysterii penetrabilia patefecisse. Cum tamen neutrum prohiberit, quominus S. Doctor de modo *traductionis* responderet, et Ecclesia satis apertam de immaculata beatissimæ Virginis conceptione sententiam ediceret; nec temeritatis etiam notam incurrrere timemus, si, quæ nobis est opinio communiori consentanea, aperuerimus.

ARTICULUS I.

QUOMODO TRADUCATUR PECCATUM ORIGINALE AD ADÆ POSTEROS?

106. *Nota I.* S. Aug. duos modos explicandi corruptionem animæ ex peccato originali, et istius peccati propagationem exponit. Primus erat *ex traduce* seu ex propagatione, ita ut, sicut caro nascentium ex carne patrum, sic animæ ex animabus procreentur, et incorporeum animæ semen sua quadam et invisibili via seorsim ex patre currat in matrem, cum in femina fit conceptus, ut S. Aug. ep. 157. (al. 190.), S. EUCHER. in c. 3. Genes. loquuntur. Alter erat ad eorum sententiam nunc ubique prævalentem, qui dicunt animas quotidie *a Deo creari*, et in corpora, cum satis formata sunt, infundi. Sicut enim si flos foetido loco inseratur, quantumvis natura sua pulcher et elegans, vitium quoddam inde labemque trahit, et sicut si anima corpori vulnerato conjungeretur, mox doleret: ita cum anima infunditur

corpori, in quo germen quoddam est peccati, quia ab Adamo fuit propagatum, et fit pars hominis ex Adamo progeniti, in quo, ut in capite continebamur, peccato inficitur.

107. *Nota II.* Dubium usque ad mortem suam fuisse S. AUGUSTINUM de origine animarum liquet ex variis ejus libris. Eundem magis propendisse in eam opinionem, quæ animas *ex traduce* sentit provenire, satis colligitur ex L. 1. de Anima c. 13. et L. 4. c. 11. Item ep. 157. (al. 190.) ac L. 10. de Genes. ad litt. Atque hæc sentiendi ratio non tantum tempore S. AUGUSTINI fuit inter *occidentales* communis, sed et seculo sexto, septimo, nono, duodecimo, quin et posterioribus habuit magni nominis sectatores: opposita tamen sententia sicut olim inter *orientales* perpetuo vixit, sic jam pene ubique a quinque seculis in Ecclesia Catholica est recepta; unde nec primus explicandi modus hic afferri potest, nec debet.

108. *Nota III.* Jansenius rejecto omni pacto tanquam commentitio et ante tempora Scholasticorum omni antiquitati incognito bina docet: 1^{um}. Peccatum originale ex natura rei propagari in posteros, non secus, ac subinde cæcitas, podagra, aliaque id genus parentum vitia tum affectuum, tum corporum, transfunduntur in liberis: 2^{um}. Causam hujus transfusionis unicam eamque physicam et necessariam, esse libidinem parentum seu concupiscentiam in usu conjugii; atque id AUGUSTINUM docuisse tanquam doctrinam Catholicam, quæ si vera non sit, vanam, falsam et fallacem esse ejus de Pelagianis victoriam. Verum, ut nuper de concupiscentia vidimus, sic et hic veriores suæ explicationis auctores Jansenius habet Lutherum in Psal. 51. ad illa verba: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum*; et Calvinum L. 2. Inst. c. 1. §. 7.

109. *Dico I.* Libido, quacum parentes generant, non est causa per se et necessaria peccati originalis in parvulis.

Prob. Si libido foret causa ejusmodi, ergo ubi ea esset, ibi foret peccatum originale; ubi vero ea non esset, ibi nec peccatum foret: atqui falsum est utrumque consequens: 1^{um}. quidem; quia, ut ait TRM. Sess. 6. c. 3. *Nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti*: sed licet ex Adæ semine non nascerentur, non tamen nascerentur *sine libidine* et concupiscentia, utpote quæ ex naturali hominis temperamento exurgit, et in statu etiam puræ naturæ fuisset. 2^{um}. Etiam; quia si parentes quoque carerent libidine in generando, nati tamen ex iis contraherent peccatum originis, cum ab Adamo descenderent, *in quo omnes peccaverunt*, nec singulari privilegio intelligerentur exempti.

Conf. Talis libido non potest per se causare effectum alium nisi materialem, non vero spiritualem in anima, aut moralem. Item libido illa conjugum de se non est mala, quia alias malæ etiam essent nuptiæ. Denique si libido esset causa peccati originalis, plus ille contraheret peccati, qui majore libidinis ardore conciperetur; cum causa necessario et naturaliter agens majorem in apto subjecto effectum producat: falsum autem est consequens, quia originale peccatum est in omnibus æquale.

110. *Dico II.* Peccatum originale non ex ipsa natura rei propagatur in posteros.

Prob. Neque peccatum originale consistit aut totaliter aut partialiter in concupiscentia: neque per hoc præcise anima inficitur peccato, quia unitur corpori corrupto, hoc est, concupiscentia affecto; cum concupiscentia etiam maneat in baptizato; ergo peccatum originale ex rei natura non propagatur, siquidem traductionis ex natura rei modus ista explicatione nititur.

Conf. Eo modo traduxit Adam originale peccatum in posteros, 1^o. Quo traduxit cætera incommoda v. g. tribulos terræ, belluarum rebellionem etc.: 2^o. Quo traducturus erat justitiam, si non peccasset: 3^o. Quo Christi passio producit in nobis gratiam: *Sicut*, ait Apost. ad Rom. 5., *per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Atqui hæc omnia non physice et ex natura rei, sed moraliter et ex Dei ordinatione fuerunt aut fuissent traducta; ergo.

111. *Dico III.* Causa peccati originalis est voluntas Adami, et sic hoc peccatum moraliter transfunditur, supposita generatione ex Adamo facta per viam generationis ordinariam.

Prob. Ex verbis Apostoli ad Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors etc.* Omnes homines nascuntur cum reatu mortis, quia omnes nascuntur peccatores: omnes autem nascuntur peccatores, quia omnes secundum moralem æstimationem peccaverunt in Adamo. Ergo mortis causa est peccatum originale: originalis peccati autem causa est Adamus. Ergo causa transfusionis peccati originalis est Adami voluntas, cui inclusæ fuerunt voluntates omnium, qui ab eo per naturalem generationem erant descensuri. Hinc TRID. loc. c. *Nisi*, inquit, *ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti; cum ea propagatione, per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahunt.*

Conf. Peccatum originale ex dictis nihil aliud est, quam peccatum Adami moraliter nostrum, quod, dum primo factum est, potest dici actuale; dum contrahitur, habituale. Ergo cum una et eadem sit causa peccati habitualis juxta et actualis, et voluntas Adami causa sit peccati originalis, ut actuale fuit et primo factum est; etiam causa dici debet peccati originalis, ut habituale est et a nobis contrahitur.

Dixi 1. *supposita generatione ex Adamo facta*; quia ex TRID. loc. cit. nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti. Dixi 2. *per viam generationis ordinariam*; ut excipiat Christus, qui cum non per viam generationis naturalis, sed mirabili Spiritus sancti opera conceptus est, non contraxit, imo ob divinitatem personæ non potuit contrahere peccatum originale. Utriusque ratio a priori fundatur in pacto et Dei ordinatione.

112. *Obj. cont.* 1^{um}. S. Aug. licet dubius fuerit, quomodo peccatum originale a parentibus baptizatis traducatur ad liberos, tanquam Ecclesiæ tamen sententiam certam et Catholicam tenuit semper, illud traduci per concupiscentiam, et multiplex illud ratione ostendit: 1^{um}. patet ex L. 5. cont. Julian. c. 12. n. 48. *Utrum (concupiscentia) malum non sit, cui repugnant consentiendum non est.... et utrum non ex ipsa et cum ipsa concupi-*

scientia nascatur, cui malum inesse ullum negas: et utrum ab ingenerato malo possit hominum quisquam nisi regeneratione liberari; hoc inter nos disseritur. In his questionibus Catholica veritate antiquitus tradita vestra impia novitas suffocatur. 2^{um}. Ostenditur ex congerie textuum et doctrina S. Aug., quam opposuit Jansenius.

R. Dubium S. AUGUSTINI et difficultatem explicandi ad ipsam etiam traductionem generaliter sumptam et ejus modum pertinuisse liquet ex illius verbis L. 5. contr. Jul. c. 4. recitatis num. 105. et L. 3. de pecc. merit. c. 4. laudatis n. 101. aliisque ex ejus ep. 29 (al. 167.) alias afferri solitis. Unde N. Assert.

Ad Prob. 1^{mi}. R. Sensum esse, quod concupiscentia sumpta pro habituali inclinatione et effreni ad bona honesto repugnantia sit malum quoddam et defectus naturæ, cum quo nascimur omnes, et a quo liberamur quodammodo per baptismum, quatenus vi illius accipimus gratiam habitualement et jus ad auxilia, quibus resistamus illius motibus, et rectæ rationi subjiciamus. Hæc vero nulli Catholicorum sententiæ repugnant. Quomodo porro dicatur *ex concupiscentia* provenire peccatum, mox subjicietur.

Ad Prob. 2^o. N. Assert. Cujus falsitatem ut aperiamus, audire juvat Jansenium opponentem.

Opponit I. S. Aug. pro prima transfusionis radice assignat magnitudinem peccati Adami, concupiscentia totam naturam inficientis et vitiantis: L. 4. de Nupt. c. 32., L. 13. de Civ. c. 3. et 15., L. 14. ibid. c. 20. et L. 2. Oper. imperf.

R. 1^o. S. AUGUSTINUM hic non loqui de libidine parentum in generando, sed de *concupiscentia habituali* hominibus insita, et per se patet, et a Jansenio tacite conceditur, dum primam et remotam quasi radicem peccati originalis designat.

R. 2^o. Sensus AUGUSTINI hic alius non est, quam quod peccatum illud Adæ totam naturam in deterius secundum corpus et animam mutaverit, et corpus quidem concupiscentiæ vitio infecerit, animam autem reatu ejusdem peccati: *causamque*, cur utrumque vitium traducatur ad posteros, esse naturalem generationem. Atque in his Catholicorum nemo refragatur S. AUGUSTINO. Quamvis enim generatio naturalis proprie *causa* peccati dici nequeat, cum per se tendat in productionem hominis secundum naturam et esse physicum, non autem producat moralia; tamen quia respectu animæ habet se ut *conditio* quædam ad infectionem, nomen causæ latius dictæ illi permittere non abhorremus.

Opponit II. S. Aug. ad causalitatem concupiscentiæ, in ordine ad peccatum transfundendum, ostendendam, aliquando utitur causandi particulis, *unde, inde, per, ex, propter, quia*; aliquando disertissimis verbis vitium ex vitio, sicut naturam ex natura propagari asserit; ergo.

R. Quod S. Aug. tam sæpe repetat, non generationem, sed *concupiscentiam* ac *libidinem* esse, quæ peccatum traducit, Ratio 1^a. est, quia indicare voluit causam originalis peccati non esse generationem *simpliciter*; cum hæc etiam in paradiso futura fuisset, quin tamen peccatum foret: sed generationem *ex natura corrupta*, cujus argumentum certissimum est ardor libidinis, sine quo ne sanctissimi quidem conjuges generare solent.

2^a. Est, quia hæc traductio peccati per concupiscentiam potest intelligi

fieri in sensu quodam *causali*, sed morali et congruo; quia videlicet conveniens est, ut qui generatur ex natura per peccatum corrupta et concupiscentiæ obnoxia, patiatu eamdem corruptionem; quo pacto L. 3. de lib. arb. c. 20. dixit: *Ut meliores (Adam) gigneret, quam ipse esset, non erat æquitatis.*

3^a. Est, quia S. Doctor concupiscentiam, quæ est effectus peccati originalis, habuit pro parte *illius materiali*; unde dixit peccatum originale traduci a peccato, sicut naturam a natura: quod tamen non intelligi debet de concupiscentia, quatenus est effectus vel materiale peccati originalis; sed quatenus est *aliquis naturæ status*, a quo exemptionem ipse generans dare non potest, neque etiam Deus dedisset in statu naturæ puræ. Unde

D. 1^{am}. part. Ad causalitatem generationis secundum se sumptæ excludendam, et causalitatem moralem duntaxat, vel concomitantiam libidinis ostendendam aliquando utitur particulis causandi C. ad causalitatem propriam, physicam et ex natura rei talem libidinis, utitur his particulis N. Etiam

D. 2^{am}. part. Dicit vitium ex vitio, utrumque proprie sumendo, propagari sicut naturam ex natura N. sumendo vitium improprie pro effectu, scilicet concupiscentia *subd.* dicit propagari hoc sensu, quod generans ex se non potuerit dare exemptionem a concupiscentia C. quod ex ipsa rei natura et necessario sequatur in posteris concupiscentia N.

Præterea, adverte per corruptionem et concupiscentiam a S. Aug. raro intelligi libidinem actualem proximorum parentum, sed concupiscentiam et peccatum Adami, quem sensum S. Aug. ep. 89. (al. 137. n. 11.) clare exprimit: *Proinde isti, quem forte invenerint infantem non ex illius unius hominis concupiscentia procreatura, ipsum dicant illi damnationi non esse obnoxium.*

Opponit III. S. Aug. causam, cur Christus noluerit naturali via generari, affert hanc: ne per concupiscentiam genitus etiam concupiscentiæ vitium seu peccatum originale ex Adamo traheret, L. 1. de Nupt. c. 12. Adhæc Pelagiani non aliter intellexerunt sententiam Augustini de concupiscentia peccatum originale propagante: neque Augustinus abnuat, ut videre est L. 2. cont. Jul. c. 1. Denique vana fuisset ejus disputatio contra Pelagianos, cum in his omnibus contra illos scriptis id unum probandum Augustinus suscepit, concupiscentiam non esse a Deo, sed ex Adami peccato, perque eam originale peccatum traduci.

R. S. Aug. in locis primo designatis tantum docet, Christum concipi noluisse ex nuptiali concubitu, qui naturaliter fieri nequit in carne corrupta sine motu concupiscentiæ; quia noluit venire in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati. Tametsi autem verum sit, quod, licet Christus aliunde foret capax peccati originalis, illud tamen non contraxisset, quia non fuit propagatus per naturalem viam generationis et concupiscentiæ: absurdum tamen est existimare Christum fuisse contracturum peccatum originale, si ex nuptiali commercio fuisset conceptus; quasi vero hypostatica unio non excluderet quodcumque peccatum: vel ex nuptiali concubitu non potuisset Christus concipi absque pudenda concupiscentia, eo nempe modo, quo in statu innocentiae fuissent omnes concepti.

Quod de Pelagianorum et Augustini sententia additur, jam patet ejus

solutio ex dictis ad oppositiones priores, ubi explicatum, quo sensu debeat intelligi, cum S. Doctor dicit, originale per concupiscentiam propagari. Disputatio tandem et victoria Augustini de Pelagianis reportata vel maxime versabatur in eo, quod existentiam peccati originalis, ejusque traductionem in posteris apertis Scripturæ testimoniis probaverit. Certe error Pelagianorum a Pontificibus et Conciliis damnatus hoc uno definebatur, quod negarent peccatum originale, h. e. peccatum Adæ transmitti ad posteros: non autem, quod hoc aut illo modo, per concupiscentiam scilicet, aut per aliud quid transmittatur, de quo ab Ecclesia nihil clare definitum fuit ante Tridentinum, quod nobis favere supra notatum est.

113. Obj. cont. 2^{am} et 3^{am}. Aperte docet S. Aug. peccatum originale transmitti ad posteros, ut *podagram, malas valetudines, aliaque morbida sobolis vitia naturalia quodam operante contagio*, quæ verba sunt L. 2. Oper. imperf., L. de Nupt. c. 34. et L. 5. contr. Jul. c. 18. Item animam peccati originali infici, ut *flos a vase vitiato corrumpitur*; ergo peccatum originale ex ipsa rei natura propagari sensit.

R. D. A. Docet hæc faciendõ comparationem adæquatam, et quæ tum quoad rem, tum quoad modum mutuo correspondeat N. faciendo similitudinem duntaxat quoad aliqua C. Posteris omnes ex Adamo descendentes contrahere peccatum originale, eoque animam, ut primum conjungitur corpori, infici, *dogma fidei* est, quod defendit Aug. ad id explicandum usus his similitudinibus: *quo modo contrahatur hoc peccatum et anima eo inficiatur, nec definitum erat, nec certum habuit Augustinus; cum ad mortem usque fluctuaret circa veram animæ originem; unde hæc similitudines ab illo allatæ modum transfusionis certum, multo minus physicum, stabilire non possunt.*

Inst. Adam non est *causa moralis*, sed physica nostri peccati, quod generatione traducitur; quia juxta S. Thom. in 2. dist. 20. q. 2. art. 3. ad 3. actio Adæ non est supra naturam ad demerendum, sicut actio Christi ad merendum. Conf. Admitti non debet opinio, qua posita peccatum non nisi moraliter transfunditur: talis est nostra; ergo.

R. D. Adam non est causa moralis, sed physica peccati originalis formaliter sumpti N. materialiter sumpti *subd.* non est causa moralis sed physica, hoc sensu, quod ex ipsa rei natura transfundat peccatum materialiter tale, ac seposito pacto divino N. hoc sensu, quod supposito pacto, per generationem et sic quodammodo physice illud transmittat C. Plus non videtur intendere S. Thomas, qui concupiscentiam statuit tanquam materiale peccati originalis, ut ex ipsa ratione adjuncta colligitur.

Ad Conf. D. M. Non est admittenda opinio, ubi peccatum transfunditur tantum moraliter quoad rem transfusam et modum transfundendi C. ubi tantum quoad modum moraliter transfunditur N. Primum ex eo esset periculosum, quia videretur insinuari peccatum nobis *intrinsece* non communicari: alterum vero hoc minime dicit, licet hoc peccatum cuilibet intrinsecum statuatur eatenus moraliter nobis communicari, quatenus dicimus, supposito naturali descensu ex Adamo, ab eodem propagari in nos peccatum, ex eo quod in illo tanquam in *capite morali* juxta pactum divinum peccaverimus.

ARTICULUS II.

AN PECCATUM ORIGINALE PROPAGETUR AD OMNES HOMINES ?

114. *Nota I.* Aliud est peccasse in Adam, aliud peccatum originale contrahere. *Peccavit in Adam*, cujus voluntas fuit inclusa pacto, quando Adam peccavit : *peccatum originale contrahit*, qui actualiter descendens ex semine Adami generatur sine gratia remissiva ; quia peccatum contrahere requirit statum personæ et carentiam remissionis, supposito, quod peccaverit. Unde qui peccavit in Adam, habet debitum proximum contrahendi originale, non tamen contrahit, si anima in instanti productionis accipiat gratiam sanctificantem.

115. *Nota II.* Constat 1^o. Christum Dominum, qui Spiritus sancti virtute sine semine viri in beatæ Virginis utero conceptus fuit, caruisse peccato originali. 2^o. Non habituros peccatum originale, qui, aut potius, si qui ex Adamo minime per generationem carnalem descenderent. 3^o. Deum potuisse speciali privilegio aliquem a communi lege peccandi in Adam, aut contrahendi peccatum, si peccavit, excipere. 4^o. Temerarium esse de aliquo asserere, quod de facto Deus aliquem tanto privilegio donaverit, nisi faveat vel Scriptura, vel Traditio et Ecclesiæ auctoritas.

Hinc circa præsentem quæstionem, quæ facti est, duplex oritur difficultas. 1^a. Est Catholicorum cum *Calvino* L. 4. Inst. c. 16. §. 24. et 25. etc., *Zwinglio* L. de Bâpt. et in declar. de pecc. orig., aliisque horum sectatoribus etiam modernis, qui contendunt peccatum originale vel non communicari, vel saltem non imputari *filiis Fidelium*, sed hos etiam ante baptismum sanctos esse et membra Ecclesiæ. 2^a. Est Catholicorum cum Catholicis, quorum aliqui contra reliquos *B. Virginem* labe originali infectam fuisse sentiunt. Articulus præsens primæ quæstionis solutionem, secundæ sequentes dabunt.

116. *Dico.* Etiam *filiis Fidelium* contrahunt peccatum originale, quod ipsi sicut et cæteris imputatur, nisi ab eo per baptismum mudentur. Est de fide ut constat ex *TRID. Sess. 5. Can. 4.*

Prob. I. Ex SCRIPTURA. Quia David de se, et Paulus tum de se, tum de aliis, etsi uterque natus esset ex parentibus fidelibus, fatebantur peccati originalis labem, *Ps. 50. Ecce in iniquitatibus conceptus sum* etc. Ad *Ephes. 2. Eramus natura filii iræ, sicut et cæteri.* Quibus adde Pauli testimonium universale ad *Rom. 5.*

II. Ex TRADITIONE. 1. Apud Patres, ex quibus a *BELLARM. L. 4. de amiss. Gr. cap. 14.* pluribus laudatis vel unus audiatur *AUGUSTINUS*, qui *L. 2. de pecc. merit. cap. 25. n. 41. Explicent*, inquit, *etiam quomodo justum sit, ut sancti ex fidelibus et immundi ex infidelibus nati, pariter tamen, si baptizati non fuerint, regnum Dei non permittantur intrare. Quid ergo illis ista sanctitas prodest?* Et *L. 2. de pecc. orig. cap. 40. Sic igitur sive reus infidelis, sive absolutus fidelis non generat absolutos uterque, sed reos : quomodo non solum oleastri, sed etiam oleæ semina non oleas generant, sed oleastros.* 2. Apud Pon-

tifices et Concilia, inter quos *SIRICIUS* in ep. 1. ad *Himer. cap. 2.* (*Labb. t. 2. p. 4018. D.*), et *CONC. ARAUS. II. Can. 2.* clara testimonia ferunt. 3. Apud Fideles, quorum sensus et usus Ecclesiæ tum ex sollicitudine procurandi prolibus periclitantibus baptismum, tum ex ceremoniis in horum baptismo constanter adhibitis manifeste elucet.

III. Ex RATIONE. Quia seclusa speciali præservatione omnes illi contrahunt peccatum originale, et nascuntur cum reatu peccati, qui peccaverunt in Adamo, ut hactenus ostensum est. Atqui omnes teste Apostolo etiam fidelium filii peccaverunt in Adamo ; ergo.

117. *Obj.* *Genes. 17. Deus Abrahamæ sic loquitur : Statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis, federe sempiterno ; ut sim Deus tuus et seminis tui post te.* Ex quo sic arguitur : Per hoc pactum Abraham omnesque ejus posterii pertinent ad Deum, ejusque amici constituuntur : atqui hoc pactum per Christum pertinet ad omnes fideles, eorumque filios ; ergo per illud vel a peccato originali mundi sunt, vel illud ipsis saltem non imputatur, quia amici constituuntur, atque ad Deum pertinent. *Conf. Sap. 8. ait de se Salomon : Sortitus sum animam bonam, et.... veni ad corpus incoinquinatum.* Sed ubi anima a natiuitate bona est, et corpus incoinquinatum, nullum est peccatum originale ; ergo.

R. D. M. Pertinent omnes ejus posterii ex hoc præcise, quod nati fuerint secundum carnem ex Abraham *N.* ex eo, quod ipsi servarint leges hujus pacti, aut hæ in illis fuerint servatæ *C.* Masculus, cujus præputii caro non circumcidebatur, ad pactum illud non pertinebat, ut *ibid.* Dominus dicit. Quod autem pro Hebræis erat *circumcisio*, hoc pro Christianis est *baptismus* ; unde fidelium filii non hoc ipso, quod sint fidelium filii secundum carnem, pertinent ad pactum et populum Dei, sed per baptismum modo incipiunt deputari in semen, ac in federe contineri, ut *Aug. L. 1. de pecc. merit. c. 27. disertis verbis inquit : Quia ergo de ovibus ejus (Christi) non esse incipiunt parvuli, nisi per baptismum ; profecto si hoc non accipiunt, peribunt.*

Ad Conf. R. Sensum Salomonis esse, nactum se fuisse animam præclaris dotibus instructam, eumque, *cum magis bonus* esset, ut addit, seu crescente ætate consecutum fuisse corporis munditiam ; qua interpretatione a plurimis allata stante, nihil adjumenti Calvinistis contra nos accedit.

Inst. 1. Apostolus 1. ad Cor. 7. scribit : Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem : alioquin filii vestri immundi essent : nunc autem sancti sunt. Ergo fidelium filii peccato originali carent.

R. N. Cons. Eo enim modo dicuntur *filiis sanctificati*, quomodo vir aut mulier infidelis, quos tamen nemo dixerit per conjuges fieri immunés a peccato. Ita vero vocantur, tum quia *matrimonium* inter ejusmodi conjuges adhuc est legitimum in Ecclesia Christi, et propter unius ad fidem conversi dignitatem morali quadam sanctitate consecratur : tum quia conjux infidelis per fidelem est sanctificatus *in spe* aut destinatione, hoc est, a fidei destinatus et adducendus ad fidem et sanctitatem. Ob easdem rationes etiam filii sancti sunt, nempe quia legitimi sunt juxta leges Ecclesiæ, cum *filiis fidelium* tales duntaxat sint secundum leges civiles : item quia destinati ad baptismum et sanctitatem veram ; quæ destinatio non est tantum actualis

in mente parentis fidelis, sed quasi habitualis, et annexa ipsi statui parentis Christiani, qui filios non generat, nisi consecrandos Christo.

Inst. 2. TERTULL. L. de Anima c. 39. ait: *Adeo nulla ferme nativitas munda est, utique Ethnicorum.* Dein subjungit, *ex Christianis nasci mundos.* His adde ejus dicta L. de Baptismo c. 18. ubi vult baptismum differendum usque ad ætatem adultam, dicens: *Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum?*

R. Oppono primum textum S. Aug. num. priore laudatum. Deinde addo TERTULLIANUM se ipsum ibid. explicantem. Immundos enim vocat Ethnicorum filios, quia illis etiam ante nativitatem adhibentur ritus superstitiosi et proles natæ destinantur diabolo. Tum exponens locum Apostoli cit. dicit: *Quasi designatos tamen sanctitati, ac per hoc etiam saluti, intelligi volens fidelium filios..... alioquin meminerat dominicæ definitionis: Nisi quis renatus fuerit etc.* cap. 40. autem hæc habet: *Ita omnis anima eo usque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur: tandiu immunda, quamdiu recensetur; peccatrix autem, quia immunda.* Ad ea, quæ adduntur ex L. de Baptismo, respensionem vide n. 81.

118. *Obj. II.* Peccatum originale non tantum ut personale Adami, sed etiam ut moraliter nostrum jam est remissum a Deo, ex eo quod Christus nos redemerit, ut Paulus indicat ad Coloss. c. 2. v. 14. *Delens quod adversus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci;* ergo, quamvis illud ad omnes non pertineat, spectabit saltem ad fideles et fidelium filios.

R. 1^o. *D. A.* Remissum est in actu primo proximo *C.* in actu secundo *N.* Deus habuit velut remotam voluntatem remittendi peccatum, quando dedit Redemptorem; voluit enim remittere, si Christus satisfaceret: posita præscientia de satisfactione Christi futura, est in Deo voluntas velut proxima remittendi, quæ tamen non est voluntas actu remittens, sed spectat ad actum 1^{um}.; est enim promissio remittendi, quando et quomodo Christus voluerit, et simul est concessio, qua Deus Christo dedit potestatem actu remittendi. Nam Christus quidem pro nobis satisfecit, et satisfactionem pro nobis obtulit: hæc tamen non est nostra nec personaliter, nec physice, nec moraliter; cum Christus nec nomine nostro, nec in persona nostra, nec cum alligatione voluntatum nostrarum ad suam voluntatem, sed nomine suo proprio pro nobis satisfecerit. Quia ergo satisfactio non est nostra, per eam peccatum nostrum non tollitur formaliter: sed Christus accepit potestatem omnibus a se redemptis peccatum remittendi actualiter, et remittit etiam cuiusvis posita conditione baptismi vel pœnitentiæ. Itaque Christus *delevit chirographum*, quatenus, qui per illud debitores eramus absolute, nunc debitores sumus sic, ut per Christum possimus accipere gratiam: non tamen abolitum est chirographum totaliter, sed Christus illud tulit, affixitque cruci, et factus Dominus chirographi, factus est Dominus debiti, qui potest a nobis exigere et remittere debitum: illud tamen ideo tulit, quia vult nobis debitum remittere.

R. 2^o. *N. Cons.* Quæ si tenet, extendenda est ad omnes, et sic nimium probat; facta enim restrictio sapit Calvinii et Jansenii hæresin de morte Christi pro salute duntaxat fidelium aut electorum.

Inst. Nemo potest transmittere id, quod non habet. Parentes baptizati non habent amplius peccatum; ergo.

R. *D. M.* Nemo potest transmittere per modum causæ, id quod non habet *T.* per modum conditionis, qua posita vel non posita fit vel non fit transmissio *N.* Generatio nempe naturalis *conditio* est ejusmodi, ut dictum est supra; et hæc habetur tum in baptizatis, tum in infidelibus. Dixi *Transeat*; quia hæc sunt AUGUSTINI verba L. 3. de pecc. mer. c. 9. *Potuerunt enim parentes ad posteros transmittere, quod ipsi minime habuerunt, non solum sicut frumenta paleam, et præputium circumcisis, sed etiam, quod et vos dicitis, fideles infidelitatem in posteros trajiciunt.*

ARTICULUS III.

AN BEATISSIMA VIRGO CONTRAXERIT PECCATUM ORIGINALE ?

119. *Nota I.* In hominis generatione duo distinguuntur. 1^{um}. est conceptio seminis ac prima inchoatio fœtus postea organizandi, dum sit idoneus animæ, vocaturque conceptio materialis et imperfecta: 2^{um}. fœtus humani animatio, quæ fit eo instanti, quo anima rationalis a Deo creatur, creando infunditur, et unitur corpusculo infantis, vocaturque conceptio formalis et perfecta. De *prima* conceptione hic non agitur; tum quia per illam nondum existit filius Adam, qui contrahere dicatur peccatum: tum quia in illa necdum adest anima, cujus voluntas est subjectum, cui originale æque ac alia peccata inhaerent: unde an illa cum SS. Patribus quibusdam dicenda sit immunda et subdita peccato ob generantium concupiscentiam aliasque imperfectiones, an non? hic non disputatur. De *altera* itaque, *formali et perfecta* sermo est, dum quæritur an B. Virgo in conceptione sua fuerit sanctificata vel non? ubi sicut non quæritur, an anima B. Virginis fuerit sanctificata, antequam uniretur corpori: sic nec satisfit dicendo, eam esse sanctificatam ante nativitatem, sed tamen aliquando post conceptionem. *Controversia* enim est de primo instanti creationis et infusionis animæ in corpus, an scilicet tunc ex speciali Dei gratia intuitu meritorum Christi a macula peccati originalis fuerit præservata, an vero contaminata? Atque hoc sensu Ecclesia Catholica colit et celebrat festivitatem Conceptionis B. Virginis, ut declaravit ALEX. VII. in Decreto an. 1662.

120. *Nota II.* De hac controversia jam a seculo XIII. in scholas inducta, posterioribus autem magna partium utrinque contentione agitata ediderunt plures Pontifices Decreta et Constitutiones; et quidem Sixtus IV. an. 1483. quæ incipit: *Grave nimis* (Extravag. Comm. L. 3. tit. 12.). Pius V. an. 1570. quæ incipit: *Super speculam.* Paulus V. an. 1616. quæ incipit: *Regis Pacifici.* Gregorius XV. an. 1622. die 24. Maii, quæ incipit: *Sanctissimus.* Et die 28. Julii, quæ incipit: *Eximii.* Alexander VII. an. 1661. edidit Decretum, cui titulus: S. D. N. Alexandri VII. *Innovatio Constitutionum et Decretorum in favorem sententiæ asserentis, animam B. M. Virginis in sui creatione et in corpus infusione a peccato originali præservatam fuisse, editorum.*

Ab his primo universim sub pœnis et censuris prohibitum est tum negan-